

## TRANSCRIPT OF THE 1280/I STATUTES OF UNIVERSITY COLLEGE

Ad honorem dei & utilitatem Universitatis Oxon' magistri deputati coram universitate Regencium ad inquirendum & ordinandum de hiis que spectant ad testamentum magistri Willelmi de Dunelm prout illa vice potuit ordinari. Istud primo inquirendo invenerunt quod dictus magister Willelmus Trescentas marcas & decem universitati legavit sub hac forma scilicet quod ex illa pecunia emerentur redditus annui ad opus x vel xj vel xij vel plurium magistrorum qui essent de redditibus illius pecunie sustentati. Insuper per certam inquisitionem invenerunt quod empti erant redditus ad valorem xviii marcarum vel circa de pecunia nominata. Dicti vero magistri ulterius inquirentes de residuo pecunie invenerunt quod universitas Oxon' ipsa indigens pro se & quibusdam magnatibus terre ad ipsam universitatem recurrentibus residuam pecuniam videlicet Centum libras & x marcas sterlingorum partem pro suis negociis mutuo acceperat & partem aliis mutuo concessit personis de quibus nichil est penitus restitutum. Magistrorum vero sic ab universitate deputatorum et voluntatem testatoris considerantium talis est ordinacio quod de bonis emptis de pecunia iam predicta quatuor magistri bene litterati et morigerati qui in artibus rexerint eligantur prima vice sub hac forma. Cancellarius vocatis magistris in Theologia de ipsorum consilio vocabit quosdam magistros de aliis facultatibus quos viderit esse vocandos; & illi magistri una cum Cancellario in fide qua tenentur universitati astricti eligent de omnibus qui se offerent ad vivendum de redditibus prius dictis quatuor magistros quos viderunt secundam suam conscientiam ad proficiend' in sancta ecclesia aptiores qui aliunde non habuerunt unde in statu magistri vivere possint honeste cuius interpretatio eligentium iudicio relinquatur. Deinceps autem idem erit modus eligendi, nisi quod illi quattuor qui sustentantur de illa elemosina ad electionem una cum predictis vocentur. Quorum quattuor magistrorum unus sit sacerdos ad minus. Isti quidem quatuor magistri singuli pro sustentacione sua L solid' sterlingorum annuos de iam emptis redditibus sunt accepturi. Unus autem eorum, qui una cum quodam magistro in artibus regente ipsum iuvante redditus emptos custodiet & empcionem aliorum reddituum procurabit & negocia tractabit promovebit & exequetur & procurator erit, percipiet lv solidos annuos quousque poterit sibi uberius provideri. Prefati vero quatuor magistri simul habitantes audient Theologiam & poterunt una cum hoc audire decreta &

decretales si sibi viderent expedire. Qui etiam quantum ad modum vivendi et addiscendi se gerent sicut eis per aliquos idoneos & expertos viros a Cancellario deputatos dicetur. Si vero aliquem a prefata perceptione vel officio prefato amoveri debere contingat super hoc Cancellarius cum magistris Theologie habeat potestatem. Dicitur vero procurator una cum dicto magistro regente in artibus astrictus fide qua tenetur universitati curam apponet ad reparacionem domorum et custodiam earundem & diligentiam quam poterit adhibebit ut pecunia distracta colligatur quam procurabit reponi in Cista una ad eiusdem pecunie custodiam deputata. Cuius ciste clavem unam habebit Cancellarius aliam dictus procurator terciam tradatur alicui alteri magistro quem procutores universitatis decreverint ad hoc aptum. Pecuniam vero collectam nulli liceat ad usus alios deputare nisi ad illum qui fuerat de ultimo voluntate testatoris; quamcito vero plures redditus empti fuerunt, augeantur numerus & exhibicio magistrorum. Hoc insuper ordinaverunt dicti magistri quod de domibus dictorum magistrorum non fiant scole nisi de eorundem consensu. Hanc autem ordinacionem H de Stanton tunc temporis Cancellarius universitatis Oxon cetusque eisdem unanimis ratificantes presens scriptum sigilli communis eorum munimine roborarunt.